

effectus cap. cum contingat, de offic. deleg. Nec credendum est velle Ecclesiam præmitti experientiam frustraneam, eò vel maxime quòd sit maximum periculum incontinentiæ eam præmittendo. Item quia hoc colligitur ex verbis prædictæ clausulæ. Quippe dum præcipit penitentia hæc experientiam præmitti, bis repetit si fieri possit: & statim remittit prudentiæ, ac iudicio confessoris, vt iudicet an ea separatio possit absq; scandalo fieri, & cohabitatio absq; incontinentiæ periculo. Quando ergo confessorius ex coniugum relatione, ætate, vel alijs circumstantijs, prudenter iudicat nullus effectus fore eam experientiam, non est cur eam præmittat. Atq; ita credo rarissimè, aut nunquam eam fore necessariam. Quia communiter id scandali, ac incontinentiæ periculum concurrit, & rarissimus esset casus, in quo ea non inueniretur. Quòd si dicas, hoc iam constituisse penitentiaræ, cum ferè semper in his dispensationibus allegetur hæc causa, nempe, oritura scandala ex separatione. Respondeo hoc nil ob stare. Quia potest præsumere sacra penitentia non ita id certè esse. Adde esse hanc clausulam consuetà apponi, quavis causa allegata: & idè licet hæc allegetur, nõ immutatur stylus ordinarius harum literarum.

61 Sed circa hanc clausulam dubitatur, in quantum in ea dicitur, vt coniux impeditenti ignarus certior fiat de prioris consensus nullitate, an id inducat conditionem necessariam vt validè confessorius dispense? Videtur enim pars affirmans ex verbis clausulæ, ibi. *Cum ipsi latoribus dispensa, nullitate de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, vt si illa adhuc ignara sit, latoris delictum nusquam detegatur* Vbi ille ablativus absolutus, *Muliere certiorata de nullitate prioris consensus*, conditionem importat. l. a testatore. ff. de condit. & demonst. Præterea quia in facultate concessa commissario Cruciatæ dispensandi in matrimonio inito cum impedimento affinitatis oculto ponitur eadem clausula. Et tamè disp. 6. num. 23. & 24. diximus per eam induci conditionem necessariam. Sed mihi persuado eam non esse conditionem, sed instructionem quandam confessorij, vt certior sit posterioris matrimonij contractus. Quòd ferè certa opinio habeat necessariū esse ad eius valorem, vt alter coniux certior fiat de prioris consensus nullitate. Ductor autem ad hoc, quia quando ponitur vt

conditio, sicut contingit in facultate commissarii Cruciatæ, ponitur multò strictiori bus verbis, denotantibus conditionem, & inter alias conditiones petitis vt commissarius ea facultate gaudeat. Quòd hic non contingit. Adde sæpe frustrandas hæc dispensationes suo valore, si id esset necessarium. Quia sæpe contingit non posse nullitatem detegi absq; periculo detegendi delicti: & maxime si impedimentum sit ex parte fœminæ, raro accidit posse viro nullitatem prioris consensus aperiri, absq; maximo fœminæ periculo: & suspicione alicuius delicti, & instabit vir vt sibi causa nullitatis detegatur, & ea non detecta, violentiorem delicti suspensionem concipiet: atq; inimicitia inter coniuges orientur. Deinde quia cum stylus habeat vt semper in huiusmodi dispensationibus hæc clausula apponatur, non est credendum Doctores, quos retuli lib. 2. disp. 39. num. 2. hunc stylum ignorasse, & tamen consulunt in hoc casu impetrari dispensationem occultè, & tacita prioris consensus nullitate illud denuo contrahi. Senses ergo per hæc clausulam non induci conditionem. Ac proinde locus erit opinionibus, quas retuli, & explicui tota ea disp. 36. an vbi commode & absq; periculo nequit alteri coniugi explicari nullitas prioris consensus, possit ea tacita matrimonium instaurari.

62 An verò quando in precibus huius dispensationis allegatur fuisse matrimonium bona fide initum, sat sit bona fides alterius contrahentis? Dixi disp. 25. à nu. 27. vsq; ad 30.

63 Deinde an quando est duplex impedimentum, alterum publicum, & alterum occultum, possit occulto impetrari dispensatio in sacra penitentia, & sit quoq; in ea faciendæ mentio publici: ac possit confessor hanc expedire, antequam impetretur dispensatio impedimenti publici in foro externo, diximus disp. 23. num. 7. & 8. & disp. 25. num. 11.

64 Tandem obseruandum est, à tergo literarum dispensationis sacre penitentiarie haberi hæc verba. *Gratis vsq;* Quæ denotat nil prohis exigi, nec per viam compositionis, sed eas gratis omnino expediri. Imò nec Summus penitentiaris hæc literas concedens potest quicquam sponte datum in signum gratitudinis, accipere. Vt haberi in facultatibus ei concessis testatur Nauarr. lib. 4. consil. in 1. editione tit. de sponsal. consil. 50. num. 3. Ex quo optimè

infert

infert ibidem Nauarr. quando gratia semel impetrata est pro vtroq; foro, & tacita est copula incestuosa, vel aliud impedimentum, ob quæ solet exigi compositio in Dataria Romana, si postea in penitentia impetretur alia dispensatio explicata omnino veritate, non posse eam exigi compositionem. Quia iam non esset verum illas literas gratis cõferri. Nec obstat inde subsequi, melioris conditionis fore hunc deceptorem, quam dicentem veritatem: vt

potè, qui nõ cogitur compositionem soluere, quam soluit narrans veritatem. Quia re vera peioris conditionis est. Nam vera narrans impetrat dispensationem validam pro vtroque foro. At falsum narrans impetrat postea dispensationem validam pro solo conscientia foro. Valor autem ille pro vtroque foro præponderat huic compositioni. Alijs obiectioibus contra hoc satisfacit ibi Nauarrus.

DISPV. TRIGESIMAQVINTA.

Qualiter intelligantur clausulæ dispensationū, quæ circa matrimonij impedimenta Ordinarijs in foro externo expediendæ cõmittuntur?

SUMMARIVM.

REFERTVR clausula harum dispensationum. num. 1. 2. 3. & 4. Quid intelligatur nomine officialis, et si sit duplex, vtri rescriptum dirigatur: & vbi incipit vna, vel deceptus declarat dispensationem subrepticam, vel validam, post sit alter officialis adire, vel ipsemet recitaret: Et alia ad hoc spectantia. Remissio. num. 5.

Quid si contrahentes sint diuersa diocesis, an possit alterutrius officialis e eodem numero 5.

Qualiter verificetur causa defectus dotis, vel viri equalis: vel à viro augmenti dotis faciendi: & quid, si ipse non sit augendo, sed alius augeat, an verificetur ea causa? numero 6.

Ordinarius quid debeat officere ad examinandum causam augmenti dotis, & an illi obster virum filios ex alio matrimonio habere? num. 7.

Scandalum allegatum pro causa qualiter sit verificandum, & an valeat dispensatio, si data opera aliquid fiat, vt infamia sequatur fœmine, si dispensationis facilioris, vel ea spe copula habeatur, etiamsi alter solus ea

ipem conceperit? Remissio. num. 8.

An ordinarius has dispensationes expedies possit iura consuetæ recipere? Reseruit duplex sententia. num. 9. & 10.

Proponitur sententia Authoris. num. 11.

An possit esculentis, & poculentis gratis oblata recipere? num. 12.

An recepta teneatur restituere? num. 13.

An finita hac delegatione possit munera gratis data recipere? num. 14.

An Ordinarius teneatur cognitionem iudicalem causam huius dispensationis præmittere? num. 15.

In quo discri examine precum dispensationis in foro externo concessæ, ab ea qua in foro interno conceditur: & an sint recipiendi testes: & sit ea veritas examinanda quando ea sit notoria, vel iudici constet: & an valeat dispensatio non examinata, nec cognita hac veritate, si preces in se vera sint? num. 16.

An clausula, non obstantibus, postea in his dispensationibus, deroget prohibitioni aliquorum graduum factæ per Concilium generale: & an desideretur huius specialis mentio, quando dispensat Papa cum aliquo particulari contra aliquod Concilij generalis decretum? num. 17.

An mandatum hoc dispensandi sit dispensatio, & valeat matrimonium initum antequam Ordinarius dispensationem exequatur? Remissio. num. 18.

An in matrimonio ineundo virtute huius dispensationis sint necessarie denunciations, atque illi non præmissis dispensante ordinario dummodo præmittantur, sit irritum matrimonium? num. 19.

An dam dispensatur in foro externo, vt matrimonium irritum iterum ineatur, sint denovo faciendæ denunciations: & quid, quando præmissæ sunt, at postea differat matrimonium, an sine repetendæ? num. 20.

An benedictiones in matrimonio irritato receptæ sint eo publicè instaurato repetendæ? Remissio. num. 21.

De intellectu clausulæ, dummodo fœmina raptata non sit. Remissio. num. 22.

Yyy

Qualiter

Qualiter intelligatur legitimatio proli, que fit per Pontificem in his dispensationibus pro foro externo num. 23.

Qualiter intelligatur clausula, quibusdam rationabilibus causis ducti: & an ea, & quare Princeps non in specie, sed in genere referat causas, probande sunt num. 24.

An nobilitas allegata in precibus, siue dicatur, vt contrahentes asserunt, siue per verbum impersonale, vt asseritur, sit probanda: & qualiter intelligatur, vel dum allegatur eos esse ex principalioribus locis num. 25.

SICUT Disputacione precedenti retulimus ad verbum clausulas dispensationum in foro conscientie concessarum: sic in hac referenda sunt clausulae dispensationum in foro externo, vt ex explicentur. Quae in dispensacione ad inendum matrimonium inter consanguineos, vel affines, sic se habent: vt ex forma nouissima accipi. *Clemens Episcopus seruus seruorum Dei dilecta filio officiali Granatensi. Ex parte N. & M. petitionis series continebat, quod cum dicta M. dotem habeat minus competentem, qua virum sibi non consanguineum, vel affinem, patri conditioni, cui nubere possit, inuenire queat. & dictus N. illam cum dicta minus competentis dote in vxorem ducere, & illius dotem vsque ad quantitatem secundum qualitatem dicta M. competentem, augere intendat: cupiunt ipsi matrimonialiter copulari, & cetera. Discretioni tuae de qua in his speciale in domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus deposita per te omni spe cuiuscumque muneris, aut pramij etiam sponte oblata, a quo te omnino abstinere debere monemus, te diligenter de pramij informes: etsi per informationem eandem preces veritate nisi repereris, super quo tuam conscientiam oceramus. Tunc postquam dicta M. dos aucta fuerit, vt praesertur, cum eisdem N. & M. quod impedimento secundi cum tertio consanguinitatis gradu, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscumque non obstantibus, matrimonium inter se publice seruat a forma Concilij Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, & in eo postmodum remanere, liberet, & licite valeant, dummodo dicta M. propter hoc repta non fuerit, auctoritate Apostolica dispenses: prolem suscipendam eximie legitimam nunciando. Volumus autem, quod si praesertim monitione nostra, eiusmodi aliquid muneris, aut pramij, occasione*

dicta dispensacionis exigere, aut oblatum recipere, temere praesumpseris, excommunicatione lata sententia puniatur. Datum Romae.

Quando autem dispensatio in his matrimonij impedimentis conceditur absque causa, clausula praesertionis est hae. *Ex parte M. & N. petitionis series continebat, quod ipsi ex certis rationabilibus causis eorum animum mouentibus, cupiunt iniucem matrimonialiter copulari. Sed quia tertio consanguinitatis gradu impediti sunt, &c. Discretioni tuae mandamus, vt de pramij te diligenter informes: etsi per informationem eandem preces veritate nisi repereris, super quo tuam conscientiam oceramus, &c.*

Aliquando in his dispensationibus absque causa concessis solet addi, volentes contrahere esse ex principalioribus civitatis, his verbis: *Ex parte M. & N. petitionis series continebat, quod ipsi, qui ex principalioribus civitatibus Granatensis existunt, ex certis rationabilibus causis animos eorum mouentibus, &c. Quandoque eadem clausula habetur in dispensationibus ex specialibus causis in eis contentis concessis, hoc tenore. Oblata nobis petitiu continebat, quod dicta M. vtroque patre orbata, & trigessimum, & vltra sexagesimum annum agens, habens virum parvi conditionis, cui nubere possit, non inuenit; habetque dotem minus competentem iuxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem, parvi conditionis cui nubere valeat, inueniat. Et quidam dicta M. frater ad id aliud non obligatus, ita vt praedicta M., dicto N. nubat, & non alteri, illius dotem, vsque ad quantitatem secundum dicta M. qualitatem, competentem augere intendat. Cupiunt exponentes praefati asserentes se ex principalioribus civitatibus Granatensis existere, iniucem matrimonialiter copulari. Sed quia tertio consanguinitatis gradu sunt coniuncti, &c. monemus te de pramij diligenter informes: Etsi preces huiusmodi veritate nisi repereris, &c.*

Quando autem dispensatur in voto pro foro externo, eadem omnino sunt clausulae, quae in dispensacione pro foro conscientiae: & eadem prorsus, ac verbis eisdem iniungitur commutatio. Praeterea quod remittitur ordinario expedienda dispensatio hae pro foro externo, & explicatur nomen votantis: & praemittitur absolutio ab excommunicatione. Sicut in ceteris pro foro externo literis contingere solet. Et ideo de ea nil est animaduertendum.

tendum. Quia tota disput. praecedenti eius clausulas exposuimus.

Prima ergo clausula continet personam cui dispensatio hae expedienda committitur, qui est officialis illius dioecesis, cuius sunt imperantes dispensationem. Et sufficit si alterutrius contrahentis dioecesis sit officialis. Verbi gratia, si alter sit Cordubensis, alter vero Granatensis, non est opus in precibus dispensacionis explicare vtriusque dioecesis, sed sat est alterutrius, dicendo M. & N. dioecesis Cordubensis, aut dioecesis Granatensis. Quod vel ex praxi ipsa constat, nunquam enim vtriusque dioecesis explicatur: nec vnquam vtriusque officiali dioecesium illarum committitur dispensatio, sed alteri soli. Praeterea quia id fit, vt satisfiat decreto Tridentini sessio. 22. cap. 5. de reformat. statutis, vt dispensationes hae ordinario praesententur.

Quod satis impletur ijs praesentatis alterutri ordinario explicato in literis dispensacionis. Tandem, quia ordinarius alterius potest cum sibi subdito dispensationem illam sibi commissam exequi. Et cum effectum habere nequeat, nisi ad vtrumque extendatur, porrigetur ad non subdium. Qua ratione defendimus lib. 3. disputacione 7. num. 7. posse alterius contrahentis ordinario dispensare cum vtroque in denunciationibus matrimonio praemittendis: & eodem lib. 3. disputacione 19. num. 4. posse alterutrius contrahentis parochum copulare matrimonio vtrumque ratione connexionis: At dispensacionis commissionem per Pontificem factam alteri ex illis ordinarijs, solus ille poterit exequi, & non alterius contrahentis ordinarius, cui commissio non est facta. Quia cum sola commissionis ratione, hac facultate gaudeat, solus ille cui facta est, poterit exequi. Multa alia possent disputari circa hunc officialem: nempe, quis nomine illius intelligatur, & an possit ipse Episcopus exequi, vel designare officialem, qui exequatur: & quid, quando est duplex officialis: & an vbi cepit vnus, vel declarauit deceptus dispensacionem esse validam, aut subreptitiam, possit alius adiri: vel ipsemet retractare sententiam: & an possit hanc commissionem subdelegare. Et an expiaret commissio ipso mortuo, vel amoto ab officio, vel facto Episcopo eiusdem, vel alterius dioecesis, an potius transeat tunc ad successorem. Sed de his egimus disputat. 27. a num. 29. vsque in finem.

Secunda clausula relata num. 1. continet causas dispensacionis. Circa quam possent disputari, quando verificetur defectus dotis competentis, & viri aequalis: & quid ad hoc diuidendum spectari debeat. Sed de his diximus disput. 19. a num. 12. vsque ad 30. vbi multa discussimus circa huius clausulae verificationem, & an verificetur, quando ob aliam causam innupta maneret forma: Hic autem disputandum est de dotis augmento faciundo per virum, quod al legatur tanquam causa, vt hae dispensacio concedatur. Difficultas ergo est, an necessario sit integre dos praedictae formae augenda, ita vt augmentum illud simul cum illius formae dote, plenam & sufficientem dotem constituat iuxta formam qualitatem? Et quidem intelligi esse necessarium, siue ipse eam ducturus, siue alius dotem auget, vt hoc speciale matrimonium in eatur, & non aliam. Quia perinde est ad huius dispensacionis valorem, ac si vir ipse auget. Nec ad illam refert ex cuius bonis augmentum id fiat, vel quis illud faciat: sed id solum spectatur, vt augmentum dotis formae pauperi liberalitas fiat, vt huic nubat. Quare etsi vir pauperate non esset huic dote augendi, atque ita mentitus esset allegans se velle dotare, cum tamen alius esset, qui de hac dote danda formae pactus esset, si huic viro nubere: existimo verificari substantiam causae, ac proinde dispensacionem valere. Quia cum mendacium sit circa rem nil conferentem ad dispensacionem, eam non vitiat. Iuxta late à nobis tradita disputacione 21. Ducor autem ad censendum esse necessarium ita integre dotem augeri. Quod nullum alium sensum videntur ea verba posse facere. Illius dotem vsque ad quantitatem secundum qualitatem dicta M. competentem augere intendat. Nam cum verbum, augere, cadat supra dotis quantitatem, & ponatur particula, vsque, iuncta cum quantitate illius dotis augenda, completitur rotam dotis quantitatem, qua decaat, vt sic competens iuxta formam qualitatem. Et si aliquid huic augmento deficiat, non verè dicetur aucta dos, vsque ad quantitatem competentem qualitati formae. At secus existimarem, si clausula diceret vel le virum augere competentem dotem formae. Quippè ea verba non important integram quantitatem suppleendam esse: sed augmentum illud dotis suppleendum, esse competentem, & consideratione dignum ar-

tenta qualitate foeminae. Quare satis esset, si aliqua ex parte augetur dos, dum modo illa pars reputaretur alicuius momenti, & digna qualitate foeminae. Sicut donum aliquod competens vocamus, quod correspondet dignitati personae, cui mittitur. Et hunc sensum faciunt verba, quae aliquando in his dispensationibus solent poni. *Et quidam consanguineus dotem huiusmodi iuxta statum sui conditionem augete vult.* Satis enim esset iuxta proximè dicta, si augmentum licet non sit integrum, & plenum, sit tamen eius qualitate, vt dignum sit statum foeminae, illiq; competens.

7 Ex quo deducitur teneri ordinarium examinare diligenter huius causae veritatem, discutendo an id augmentum promittens sit illud soluendo: & faciat, vt id scriptura publica promittat, muliere acceptante, vt verificetur dotem esse auctam: prout petitur in hac dispensatione. Et aduertat etiam si maritus habeat filios ex alio matrimonio, & quantitas hae excedat quintum bonorum, in quo solo potest in hoc Regno filijs prauidicare, nihil obesse potestati quantitatis huius promittendae. Quia cum detur ob causam onerosam, nimirum, vt Pontifex dispense, extrahitur de toto bonorum aereuo, etiam in filiorum prauidicium. Vt probauimus lib. 6. disp. 8. num. 3.

8 Qualiter autem quando scandalum oriturum non inito matrimonio allegatur pro causa, id scandalum intelligatur. Diximus disput. 19. num. 10. Et an si data opera aliquid fiat, vt sequatur in fama foeminae, vel copula habeatur, vt vel sic deat causa facilioris dispensationis: & quid, quando illa spes ab altero solo concipitur. Dixi disput. 25. num. 3. & 38.

9 Tertia clausula relata num. 1. continet prohibitionem sub poena excommunicationis latae sententiae recipiendi cuiuscumque muneris ab ordinario, cui haec dispensatio exequenda committitur. Quauis enim in principio literarum vsus sit Pontifex verbo, non omnes, quod solum consilium importare videbatur. At in fine suam praecipendi intentionem expressit fulminans excommunicationem in facientem contrarium. Circa quam potest dubitari, an licita sit consuetudo, quae in aliquibus diocesisbus inoleuit, accipiendi scuti aurei, alteriusve quantitatis pro labore, quae praedictus officialis dicebanus subit in testium informatione recipienda ad veri-

secunda narrata in precibus, & in ea dispensatione expedienda? Nauar. lib. 1. consiliorum, in secunda editione. tit. de rescriptis, toto consil. vltimo negat id recipere licere. Dicitur primò. Quòd huius clausulae verba omnem muneris, ac praemij receptionem excludant. Secundo, quia cap. statutum. §. in super, de rescript. in 6. interdicitur omni iudici Ecclesiastico delegato cuiuscumque muneris, aut stipendij receptio, praeter esculenta, & poculenta gratis oblata, quae paucis diebus consumi possunt: & praeter itineris expensas, si causa delegationis è domicilio exeat.

10 Sed id licere sustinuerunt quidam viri docti, quos tacito nomine refert Nauar. num. praecedenti allegatus. Et alij viri docti à me consulti. Ducuntur, quòd prohibitio huius clausulae loquitur de munere, aut praemio: atque ita de muneribus, quae in gratitudinis praemium sponte offeruntur. At quòd est laboris impensis stipendium non est remunerationis praemium, nec muneris ratione habet. Deinde, quòd mens Pontificis in hac prohibitione sit, ne muneribus corruptus, & excoeratus ordinarius, minus bene minus suum obeat. At stipendium laboris iure, vel consuetudine debitum non corrumpit iudicem, nec ipsum à recto desistere obligat.

11 Existimo hanc posteriorem sententiam esse verisimam. Tum propter rationes adductas. Tum etiam quia. cap. statutum. §. in super, de rescript. in 6. cui innotuit, contraria sententia, non loquitur de quocumque iudice delegato, sed de delegato per literas iustitiae ad litem inter partes agendam. Qualis non est hic. Adde esto de quocumque delegato loqueretur, iam consuetudinem obtinuisse, vel saltem declarasse hoc stipendium recipi posse.

12 Sed dubitabis, an possit hic delegatus ad exequendam dispensationem, recipere ea esculenta, & poculenta, quae paucis diebus consumi possunt, permilla iudicibus delegatis. d. c. statutum. §. in super? Videtur enim id licere. Quia per clausulam huius dispensationis non videtur derogatum illi permissioni iure communi contenta: eò vel maxime quod ratio eius sit, non praesumi fore, vt iudex tam modicis muneribus corrumpatur. Quae eadè in hoc delegato militat. At credo id non licere. Ducor, quia is textus (vt nu. praecedenti dicebam) loquitur in delegato ad lites, quae commissio cum adiret, magniq; sit laboris, magno stipendio

digna

digna erit: atq; idèd respektu eius ea esculenta, & poculenta nullius considerationis reputantur. Quod fecus est in nostro casu, in quo expeditio dispensationis communiter est breuissima, & facillima. Atq; idèd respektu eius ea munera reputantur magni momenti. Secundo, quia clausula huius dispensationis expresse ait, *Causisq; muneris, & statim, à quo abstinere omnino, vbi pondero dictionem vniuersalem, cuiuscumque, quae omnia dona amplectitur: & dictione, omnino, quae est dictio praecisa, & significat sine vlla exceptione, sine remedio, & ad vniuersum.* (vt probauimus lib. 1. disp. 3. 2. nu. 6.) Tadem, quia cum iudici ad lites delegato interdicitur ibi stipendium à partibus recipiendum, iustum fuit ea esculenta, & poculenta ei permitti. At in nostro casu permittitur stipendij debiti receptio. Ergo merito alia esculentorum, & poculentorum receptio denegatur.

13 Quauis autem iudex ad lites delegatus teneatur munera recepta contra prohibitionem d. c. statutum, restituere: vt ibi. §. si quid autem, statuitur. At officialis has dispensationes expediens non tenetur munera sponte oblata restituere. Quia (vt nu. 11. probauimus) prohibitio. d. c. statutum, non loquitur in hoc casu. Quare hic tantum delinquit contra prohibitionem huius clausulae, quae solam contraueniens excommunicationem imponit, nec vllum verbum habet, quòd dominij translationem impediatur.

14 Nec contraueniret huic clausulae, & idèd non incurreret illius excommunicationem, si expedita omnino dispensatione, & ita finita delegatione munera reciperet. Quòd cesset iam prohibitionis causa. Quòd in iudice delegato, de quo loquitur textus. d. c. statutum, notantur Dominicus ibi. §. in super. num. 10. Francus ibi num. 10.

15 Quarta clausula est, *Si per informationem preces veritate veri repererit, super quo tuam conscientiam oneramus.* Circa quam difficultas est, an desideretur cognitio iudicialis veritatis harum precum, sumptis testibus iuramento astrictis coram notario? Atque eam desiderari potest probari ex omnibus à nobis adductis lib. 3. disp. 8. nu. 2. At eam non requiri existimo, sed satis esse, si extrajudicialiter iudex hic informetur, certiorque fiat de harum precum veritate. Vt latè probaui in simili casu cap. disp. 8. num. 4. vbi na. §. inde intruli posse fieri sine ordine, & sine iudicij figura, & testibus non receptis in forma iudicij, nec iurantibus. Et nu. 6.

explicui qualiter possit fieri extra dicecensim. Et ratio est, quia sicut in illo casu cogitatio causa dispensationis committitur conscientiae iudicis, estq; ad eius conscientiam informanda: ita & in hoc: vt constat ex illis verbis: *Super quo conscientiam tuam oneramus.* Pro qua etiam parte optime facit Parisius consil. 57. nu. 55. volum. 4. vbi ait in mandato dispensandi super matrimonio, exequutorem assumere partes iudicis minime cogi, at debere se de precum veritate informare.

16 Hinc inferitur, hoc distare inter examinationem veritatis precum dispensationis fori interni, & fori externi. Quòd in illa sola partis informatio accipienda sit. Vt potè, quae occultè omnino facienda est, & solius fori interni leges sequitur. In hac autè, vt potè quae publica est, & leges fori externi, in quo concessa est, sequitur, ex aliorum testimonio certior faciens est iudex. At vtraq; conuenit, quòd neutra notario, nec iuramento testium indigeat. Quòd si notoria esset precum veritas, vel aliunde de ea iudici constaret, nulla opus esset informatione. Quia iam conscientiae iudicis satisfactum est. Et per ea quibus vtrumque probauimus loqueres de dispensatione in foro conscientiae, disputatione praecedenti, nu. 2. 4. Vbi autem ignarus veritatis precum dispenseret, quauis preces in se verae essent, non valeret dispensatio: vt in dispensatione fori conscientiae probauimus disput. praecedenti. num. 26.

17 Quinta clausula relata num. 1. est, *Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, non obstantibus.* Circa quam ea est difficultas, qualiter haec derogatio obstantium generalis satis sit ad valorem huius dispensationis concessa circa gradus consanguinitatis, vel affinitatis interdictos. cap. non debet, de consangu. & affinitate? Ratio dubitandi est. Quòd ea prohibitio fit à Concilio generali in dicta: nec in hac clausula fit vlla mentio Concilij generalis. Cum tamen constet per clausulam nullam generalem derogari decreto Concilij, sed opus esse specifica eius mentione. (vt probauimus lib. 3. disp. 26. n. 7.) At dicendum est, absq; dubio hoc non obflare valori dispensationis, sed per eam clausulam derogari decreto Concilij generalis relato. dict. cap. non debet. Quippe ea regula, vt desideretur specifica Concilij mentione, quòd ei derogatum censetur, fallit quòd Pontifex dispensat in speciali, & certo

Yyy 3 casu

casu contra Concilij generalis prohibiti-
one: vt optimè relato Felino docet Loazes
de matrimonio Regis Angliæ, dubio 16.
na. amico. Et ratio est. Quia cum clausula
generalis prædicta nequeat vera reddi nisi
in eo solo casu contra Concilij prohibiti-
onem, debet hęc generica derogatio repu-
tari pro specifica, & expressa. l. 2. vbi la-
son multa cumulat. ff. de liber. & posth. alijs
dispensatio hæc nullius foret momenti.

18 Sexta clausula est. *Vt matrimonium inter
se publice, seu ut a forma Concilij Tridētini cō-
trahere valeant, dispensa.* Circa quā clausulā
aduerte primò, non cōtinere dispensationē
omniū cōsummatam, sed mandatum dis-
pensandi: ac proinde matrimonium non
valitum, si ineat, ante quā officialis
cui hæc literæ dirigitur, dispense. Vt di-
xi disput. 30. num. 12.

19 Secundo aduerte, cum matrimoniū hoc
nondum initium sit, seruandam in eo non
solum substantialem formā Tridentini scilicet
24. cap. 1. de matrim. quæ est, vt celebretur
coram parcho, & duplici teste: sed etiam
accidentalem sibi statutam, nimirum, vt de-
nunciations præmittantur. Quia nulla est
ratio, cur in hoc præmittendæ non sint, si-
cut in alijs matrimonijs absq; dispensatio-
ne initis præmittuntur. Nam vltra impedi-
mentum in literis expressum posset aliud
quoc; saltem impediens adesse. Nec tamē
per hæc clausulam tollitur ordinario facul-
tas dispensandi ex iusta causā in illis denū-
ciationibus. Quia forma in eo Tridentini
decreto statuta est, vt præmittantur, nisi or-
dinarius dispensarit. At si officialis dispē-
saret in eo impedimento iuxta huius clau-
sulæ tenorem, vt seruata forma Tridētini
illi contraherent: imò explicando, vt præ-
missis denunciationibus: si eis omisit cō-
trahere coram parcho, & duplici teste,
valeret vtrq; matrimonium. Quia cum ea
forma iure Tridentini in sit, et si nō expli-
cāretur, nec explicetur alio modo speciali
quā inest, non inducit formam, & cōdi-
tionem (vt probauimus lib. 3. disp. 33. nu. 3.)
Præterea licet importaret conditionē,
cū petatur tanquam forma in Tridētino
expressa, non aliter accipiēda est, quā ibi
exprimitur. At in Tridētino petitur denū-
ciationes præmitti tanquam formam
accidentariā, cuius omisitō subiacet culpæ
lethali, non tamen irritat matrimonium.

20 Imò quando conceditur dispensatio in
foro externo, vt matrimoniū prius publi-
cè, ac præmissis denunciationibus initum

cum impedimento dirimentis, iterum ipe-
atur: sicut iterū coram parcho & testibus
est in eundem, sic etiam sunt iterum præ-
mittendæ denunciations. Quod prius ma-
trimonium perinde sit, ac si initū non fue-
rit. Quod tamen limitare, nisi paulo ante
in priori matrimonio inualido præmissa
essent. Nam moraliter tunc præmitti cen-
sentur. Cum ad hoc solum præmittantur,
vt impedimentum si quod sit, detegatur.
Qui si nis ex paulo ante præmissis obtine-
tur. Secus verò si multum temporis spatium
transiisset. Sicut etiam quando nullū esset
initum matrimonium, si vt iniretur præmit-
terentur denunciations, & multo tempore
spatio differretur matrimonium, & crederet
alias denunciations necessarias fore. Quod
posset post priores factas ortum esse ali-
quod impedimentum. Atq; ita prioribus
tamdiu præmissis non satis heret intentio-
ne Ecclesiæ statuentis eas præmitti. Quod
si quæras, quodnam censendum sit longum
tempus? Respondeo id arbitrio prudentis
relinqui attentā contrahentium condicio-
ne, eo solo spectato, vt illa attentā non sit
moraliter periculum noui impedimenti di-
rimentis, aut impediētis orti à tempore
priorum denunciationum. Et rarissime tri-
mestre reputarem longum tempus.

An verò præmissis in priori matrimo-
nio irrito benedictionibus nuptialibus, sine
in hoc posteriori publice contracto ite-
randæ? Dixi lib. præcedenti, disput. 81.
num. 25, & 26.

Septima clausula relata nu. 1. est. *Dāno-
do propter hoc ipsa et septa non fuerit.* De cu-
ius clausulæ intellectu diximus disp.
25. nu. 17. & duplici sequenti.

Octaua clausula est. *Polem suspiciendam
exinde legi in 7. nunciando.* Quāuis hæc clau-
sula non adderetur, proles esset legitima
quoad omnia in vtroq; foro: vt potè habi-
ta ex matrimonio cū legitima pro vtroq;
foro dispensatione contracto. Quando au-
tem proles legitimeretur ante id matrimo-
nium suscepta, vel ex alio irrito, nunc autē
iollaurato pro vtroq; foro, constat ex di-
ctis disp. tota 7. & disp. præcedenti, nu. 47.
& seqq. Ex quibus locis constat si nullo
inito matrimonio legitimeretur, fore tātum
quoad spiritualia legitimā in vtroq; foro:
nisi esset in locis iurisdictionis temporalis
Pontificis, atq; is explicaret legitime se
quoad temporalia quoq;. Si verò suscepta
sit ex matrimonio irrito mala fide vtriusq;
contracto, legitimatio erit, quoad sola spi-

ritualia

ritualia in vtroq; foro, nisi Pontifex dispē-
saret in ipsa matrimonij radice: aut esset in
locis suæ temporalis iurisdictionis, & ex-
primeret se velle etiam, quoad temporalia
legitimare. In quibus casibus legitimatio
erit, quoad omnia. Si verò aliter parens in
bona fide fuit, quāuis Pontifex non legiti-
maret, erit proles, quoad omnia in vtroq;
foro legitima, & quoad vtrumq; parentis:
at parens, qui in mala fide fuit non gaude-
bit iure legitimi parentis.

24 Nona clausula est nu. 2. relata, quæ appo-
nitur in dispensationibus absq; causā cō-
cessis. *Ipsi ex certis rationabilibus causis eorū
animū mouentibus capiunt inuicem matrimo-
nialiter copulari.* Circa quam dubitatur, an
ordinarius debeat petere eam verificari.
Pars affirmans videtur suaderi ex ijs, quæ
statim adiunguntur. *Discretioni tuæ manda-
mus, vt te de præmissis diligenter informes, et si
per informationem preces veritate tui reperi-
ris.* &c. At dicendum est, eas rationabiles
causas, quibus illi ducuntur, ne quaquā esse
probandas: nec iudicem aliquid, vel ab im-
petrantibus dispensationē, vel ab alijs cir-
ca eas debere inquirere. Ducor, quia quoties
Princeps proficitur se gratiam largiri
obseruita sibi impenfa, vel ex certis cau-
sis, non declarando in specie, quæ illa sint,
sunt verba generalia non vt probentur ap-
posita, sed potius ad quodam honestatis
specimine induendam gratiam. Vt optimè
docent Oldradus cont. 4. sine. Staphilæus
de literis gratiæ. tit. de vi, & effectu clau-
sularum, in principio. nu. 6. Rebuffus pra-
xi benef. tit. de clausulis mātatorum. nu. 6.
Et colligitur apertè ex textu. l. quod ven-
ditor. 39. ff. de dolo malo. l. sciendum. 19. in
1. responso. ff. de ædilitio edicto. Nec ob-
stat clausula superaddita, *De præmissis te di-
ligenter informes.* Quia ea refertur ad impe-
dimentum, quod allegatur, in quo dispen-
sandum est, & non ad omnia præmissa. Et
quāuis generaliter apponatur eodem modo,
quod in dispensationibus ex certa causā
concessis: id tamen est ex notariorum sty-
lo, & non vt æquē in vtrāq; dispensatione
ad omnia præmissa referatur. Cuius signū
est, quod quando Pontifex vult causas veri-
ficari, eas in specie narrat: atque frustra
sine causa concederetur, si hæc causæ gene-
rales essent veritendæ.

25 Vltima clausula relata num. 3. continet
contrahentium qualitatem, dum allegant
se esse nobiles. aut ex nobili genere natos,
aut ex sui oppidi principalioribus. De eu-

ius clausulæ intellectu diximus disput. 19.
nu. 8. Circa quam dubitatur, an probanda
sit hæc causā. Et probanda videtur ex do-
ctrina Chassanæ in consuetud. Burgundie,
rubrica 1. §. 4. à nu. 159. vsq; ad 161. vbi do-
cet licet in collatione beneficij non irritetur
gratia, quod impetrans narrarit falsò se
nobilem, secus tamen esse si ea causā falsò
allegata obtinuerit dispensationē ad plura
beneficia. Quod ad beneficij collationem
non conferat nobilitas: at cōfert præbens
iustam dispensandi causam ad plura. Cum
ergo nobilitas iustam dispensandi causam
in matrimonio præbeat: (vt probauit disp.
19. num. 5.) ea in precibus diligenter verifican-
danda. Sed dico eam causam non esse veri-
ficandam, quando priori modo nu. 3. re-
lato narratur: secus quando posteriori mo-
do ibidem citato. Ducor, quod in priori
modo ea contrahentium qualitas referatur
merè narrando, & non per modum causæ,
vel conditionis: vt ex ipso tenore constat,
ibi: *Ipsi qui ex principalibus ciuitatis existunt.*
At quādo qualitas narratiuè exponitur, &
non per modum conditionis, minimè est
probanda. Vt docent Innocen. c. finali, sta-
tim in principio, de præsump. & ibi Felin.
num. 33. Bald. l. neq; natales. 10. sine. C. de
probat. Rebuffus in concordatis, vbi de
forma mandati Apostolici, super verbo,
morū honestas, statim in principio. Adde
eam qualitatem non referri tanquam cau-
sam, siquidem postea additur: *Ex certis ra-
tionabilibus causis.* Et ea dispensatio absque
causā conceditur. At in posteriori modo
explicatur qualitas inter causas ex quibus
ea dispensatio conceditur, & dicitur eam
asserri à contrahentibus, ibi: *Afferentes se ex
principalibus ciuitatis existere.* At in gratijs
Apostolicis distat multum, quādo aliquid
narratur in præfatione per verbum imper-
sonale, dicendo, vt asseritur, vel non per
imperfonale, dicendo, vt asseris, vel vt as-
serunt proponentes: vel vt ab ipsis asseri-
tur. Quia quando per verbum imperfona-
le ponitur, ea res non est probanda. Secus
quando non per verbum imperfonale. Vt
benè tradunt Rebuffus in concordatis, v-
bi de forma mandati Apostolici, super ver-
bo, omnia, & singula. verbi. nota tamen. Na-
uarr. cap. si quando, exceptione 3. num. 2.
de rescript. & alios referens Mascardus de
probat. conclus. 888. num. 40. Cum ergo
in hac clausula ponatur hæc qualitas tan-
quam asserita ab ipsis contrahentibus, est
verificanda.

Yyy 4

DISPV.

DISPUT. TRIGESIMASEXTA.

Cuius expensis dispensatio impetranda sit: & quādo à fide matrimonij data resiliens teneatur eas integrè soluere?

SUMMARIUM.

Dispensatio communi consensu etiam tacito obventa, an sit communibus expensis soluenda: sit que tacitus, quando datam ab altero fidem alter accepit? num. 1.

Quid, si alter ratione legati, aut maioratus, teneatur ad id matrimonium? num. 2.

Quid, si altero infirmitate impetrata sit? num. 3.

Resiliens iure absq; alterius culpa, an teneatur illi refundere partem, quam soluit? num. 4.

Quid, si fidem dederit, cum si mo, aut dubio ingrediendi religionem proposuit? num. 5.

Quid, si alter alteri culpabilem resiliendi causam præbeat? num. 6.

An in cuius culpa euenit impedimentum, ne sponsalia perficiantur, teneatur suis expensis procurare dispensationem? num. 7.

An deflorans virginem, vel mulierem bonæ famæ, aut eam infamans, fide matrimonij data, possit ingredi religionem, etsi ingrediatur, teneatur integras dispensationis expensas soluere? num. 8.

Quid, quando defloratio fuit spontanea, aut precibus leuibus, non data fide matrimonij, at postea data est? num. 9.

Quid, si in hoc casu pecunia promissa sit, & postea à loco pecunia matrimonium? num. 10.

Quid, si defloratio fuit vi, aut dolo, & postea est matrimonium promissum? num. 11.

An in foro externo id doli presumatur, & cogendus sit deflorator, ne ingrediatur religionem, sed eam ducat? num. 12.

An sponsalia probentur testibus singularibus? num. 13.

De hac re latè egimus lib. 5. disp. 5. num. 21. 37. & à nu. 32. vsq; ad 34.

Et idè breuiter omnia ibi dicta, summam complectar, remittens latius videnda ad eum locum: addamq; aliqua ibi non tractata. Prima conclusio sit.

Quando communi consensu impetrata est dispensatio, etsi de expensis nil cõuentum sit, expensis vtriusq; æqualibus soluenda est. Ratio est clara. Quòd negotium sit cõmune. Intellego autem communem consensum, non tantum expressum, sed etiam tacitum. Vt si quis promittat consanguineæ matrimonium, eò ipso quòd illa acceptat, conuenitur tacitè de dispensatione impetranda, vtpotè quæ ad illius exe-

quationem necessaria est. Et idèd communè debere esse expensas, defendimus lib. 5. disput. 5. num. 37.

Hinc tamen excipiendum est, nisi alter ratione alicuius legati, vel successione in maioratū, grauatū sit ad id matrimonium. Vt si legatarius, vel maioratus successor ea conditione institutus sit, vt consanguineam aliquam ducat; tunc enim totas dispensationis expensas facere tenetur. Quippe eò ipso quòd ad aliquid exequendum grauatū est, censetur eo ipso grauatū ad omnia illa, quæ ad exequationem desiderantur. Et sic probauimus lib. 5. disput. 5. num. 21.

Secunda conclusio. Si non communi consensu expresso, nec tacito, fuit impetrata dispensatio, sed alteruter desiderans personæ consanguineæ matrimonium, ipsa inconsulta impetrauit, soli impetranti integras expensas soluere incumbit. Vt dixi lib. 5. disput. 5. num. 33. Quia cum alterius matrimonij inficius fuerit, nec tacitè, nec expressè ad expensarum partem se altrinxit. Et quauis matrimonium postea in initum cedat in vtriusque utilitatem, cum pars inficia nil pepigerit, potest absque onere vllarum expensarum, beneficio in se ab impetrante dispensatione collato vti. Quod tamen intelligerem, si tempore quò conuentum est de matrimonio, norat alter dispensationem impetratam. Si enim id ignorabat, tenebitur ad expensarum partem. Quia cum dispensationem in commune vtriusque bonum necessariam esse nosset, nec impetratam sciret, tacitè se obligauit ad expensarum partem: & per accidens est, vt impetrata iam sit.

Tertia conclusio. Quando alter iure resiliit à fide matrimonij data absque alterius culpa, non tenetur illi partem expensarum, quam soluit, refundere, sed vtriusque est suam partem soluere. Vt si resiliat amplectendo opinionem probabilem dicentem hanc promissionem non obligare, vel transeundo ad religionem, vel quòd alter in deformitatem notabilem incidit. Hæc amplexus sum lib. 5. disput. 5. num. 33. tanquam probabiliorè, contra aliam sententiam ibi num. 32. relatam.

Quarta

Quarta conclusio. Si alter dolosè contraxerit, quia, nimirò habebat animum resiliendi etiam licitè, vt ingrediendo religionem, siue ante initū matrimonij, siue ante illius consummationem, tenetur alteri partem expensarū, quā soluit refundere. Ratio, quia licet ius habeat ingrediendi religionem, at non habuit ius decipiendi alterum, efficiendo vt inanes expensas faciat, nisi animum habeat seruadi alterum in dōmnè. Et idem crederem, quādo dubius esset tempore contractus, an ingressurus esset postea religionem. Et ratio est, quia ruc contractus non est equalis. Cum alter firmū stadii promissis animum habeat, hic autem ancipitè. Et si alter eius dubij conscius esset, nullatenus eo ad expensas obligaret, sed ea lege pactum iniret, vt in resilientem integrarū expensarum onus rejiceretur.

Quinta conclusio. Si alter culpabilem alteri resiliendi causam præbeat, ita vt resiliens nequeat absq; damno proprio, & decore id matrimonium inire, tenetur, qui in culpa sua integras expensas soluere. Vt si sponsa fornicetur. Quia culpa sua cogit alterū resiliere. Quod probaui eodem lib. 5. disput. 5. num. 34. vbi secus esse dixi, quando sponsus fornicando præberet iustam resiliendi causam sponsæ, & ipsa resiliat. Quia etsi iustè, liberè tamen resiliat, vt potè, quæ nullam honoris, alteriusve rei iacturam facit illi nubens.

Sexta conclusio. Is cuius culpa euenit impedimentum, ne sponsalia perficiantur, in casu, in quo tenetur procurare dispensationem, quam explicui lib. 1. disput. 56. num. 4. tenetur suis expensis illam impetrare. Quia in culpa illius impedimēti fuit.

Sed difficultas est, quando vir, qui virginem deflorauit, ingreditur postea religionem. Hæc pendet ex cognitione quando culpa tribuendus sit hic ingressus: tunc enim constat hunc teneri integras dispensationis expensas soluere, vt potè, qui non est vsus iure suo. Secus quando culpa vacat, iuxta dicta num. 4. Et ita declarando quando culpa vacet, manebit subinde expensarum, quando non tenetur partem expensarū restituere ad femina soluta. Quod in quaduplici casu potest tractari. Primus est, quando fidem dans deflorauit virginem sub ea spe, vel mulierem bonæ famæ cognouit, vel ita erga eam se habuit, vt notabilem illa famæ iacturam patiatur ipso ingrediendo religionem. Et de hoc casu satis egimus lib. 1. tota disp. 44. vbi id esse iniu-

stum probauimus, licet ineat matrimonij, & ante consummationem ingrediatur. Et ita tenebitur restituere expensas.

Secundus casus est, quando nulla matrimonij fide data, virgo consentiens deflorata est, aut precibus non inducentibus restituenti obligationem: & postea deflorator matrimonium illi promisit. Et in hoc casu existimo eum in foro cõscientie posse ingredi religionem, & sic non teneri ad partem expensarum restituendam (quid autem sit in foro externo dicendum nu. 12.) Ducor, quòd cum nullatenus ad id matrimonium teneretur, sed ea obligatione merita liberalitate processerit, quauis sumptuosa ex præcedentibus, quod nullam iniuriæ rationem habeat in se imbibitam, nec ad restituendum aliquid obligabat, includit tacitam cõditionem nisi transitus ad religionem placuerit. Et sibi imputet feminam ad damnum honoris, quod pariter id enim non ex ingressu alterius in religionem, sed ex defloratione, cui volens cõsensit, nascitur.

Tertius casus est. Quando defloratio fuit spontanea, nec data matrimonij fide, sed sola aliqua summa pecuniaria promissa, at postea deflorator matrimonij promissum loco illius summe pecuniariæ. Et in hoc idem dico quod in precedenti casu dixi. Quia ad matrimonij nulla profus obligatio præcessit, nec defloratio iniuriosa fuit, illiq; satisfiit sola pecunia promissa. Matrimonij autem promissio loco illius facta retinet implicitam cõditionem, quam suapte natura habet, nisi promittens ad religionem transeat. Quare satisfiit hic ad religionem transiens reddens pecuniā prius promissam, & solam expensarum partem, quam soluere tenebatur. Quòd si soluendo non fuerit, & spes fuerit fore soluendo, si in seculo aliquatulum demoretur, tenebitur demorari donec soluat, instar aliorum rei pecuniariæ debitorem. Nec obstat hæc obligatio subrogata matrimonij, tãquam subrogata obligationi pecuniæ, debere eius naturam sapere. Quia sapit ad hunc finem, quia sicut pecunia illa debebatur, ita & executio eius promissionis: nõ tamè eodem modo. Quia illi non inest iure cõditio, nisi transitus ad religionem placet: quæ tamen inest huic.

Vltimus casus est, quando defloratio fuit iniuriosa, nempe, violentia, aut precibus violentiæ equipollentibus, aut dolo, & postea deflorat vt ei iniuriæ satisfaciatur, promittit ei feminae matrimonium. Et in hoc

hoc

hoc euentu existimo si sua sponte, & non metu coactus id promissit, nō posse illum tura conscientia ad religionem transire, etiam si matrimonium ineat, & ante consummationem transire velit: & ita si de facto profiteretur, tenebitur ad totas dispensationis expensas. Sicut dixi in 1. casu relato num. 8. Ducor, quodd cum hic ex vi iniuriæ deflorationis teneretur vel eam sceminam ducere, aut eius dotem augere: iuxta cap. 1. de adult. & potest latè videri in Gutierrez. q. canon. lib. 1. cap. 37. à nu. 7. Ea matrimonij promissio sequitur dici liberalis, sed verè satisfaciens iniuriæ violationis, & ex vi illius debita, quāvis nō determinatè, sed sub disiunctione. Quare cū deflorans promittit postea sceminā acceptanti matrimonij, non imponit sibi nouā omnino obligationem, sed disiunctiuam determinat ad alteram illius partem. Ergo contra hanc obligationem, quam sibi voluntariè elegit imponendam vt satisfaceret grauissimæ iniuriæ, non poterit ad religionem transire, cum damno sceminæ: quæ ture optimo potest quancunq; aliam iniuriæ satisfactionem respicere. Et confirmatur, quia cū in hoc casu magis iniuriōsa fuerit violatio, vt potè violenta, quā dū sua sponte sceminā cōsensit promissio sibi matrimonio, & eadē promissio sit iam facta: sicut non potest resiliere transiens ad religionem, quando sceminā sponte cōsensit præcedenti ea promissione, ratione iniuriæ sceminæ: ita ratione maioris iniuriæ ex violatione coacta illatæ id non poterit, quando promissio matrimonij in illius satisfactionem subsecuta est. Id enim quod semel placuit, nequit amplius in grauem sceminæ iniuriam displicere. Dixi, quando sua sponte, & non metu coactus promissit. Quia eam sedulsa ea promissione non teneretur ad matrimonium, & sic non haberet impedimentum ad licitum religionis ingressum: nec ea promissio impediet. Quia ob coactionis iniuriā minimè obligat. Et quāuis in foro externo non iuuaret, nisi metus in virum constantem caderet: in foro conscientie sufficeret metus leuis, ne obligetur ea (vt probauimus lib. 4. disp. 9. num. 4.) Dixi etiam quando fuit defloratio virginis. Quia si viuam honestam, aut aliam non virginem sic violenter absq; matrimonij fide cognouisset, licet postea promitteret illi matrimonij in satisfactionem, posset ingredi religionem, & alio modo satisfacere iniuriæ illatæ. Quodd

cum nullo modo teneatur ad matrimonij (in virginis enim defloratione id specialiter statutum est c. 1. de adult. vt ad id, vel ad dotem teneatur deflorator, ratione grauioris iniuriæ quā si vi cognoscatur, quæ nō erat virgo) ea promissio sit omnino voluntaria, & sic habet imbibitā tacitā conditionem, nisi transitus ad religionem placuerit.

Hinc deducitur, eum, qui virginem deflorauit etiam consentientem, & post defloratam dedit fidem matrimonij, etsi in foro conscientie possit ad religionem transire, (vt num. 9. diximus,) in foro externo compellendum esse ne transeat, sed defloratam ducat: nisi ipse probet eam non fuisse virginem, aut sponte cōsensisse. Ratio est, quia quando dolo, aut vi deflorat, est ad hoc compellendus (vt num. præcedenti diximus.) At quantuncunq; ipse alleget eam non fuisse virginem, aut cōsensisse, ei non creditur, nisi legitime probet: sed præsumitur in foro externo ea virgo, & se ducta. Vt ex l. vnica. ad finem. C. de raptu virg. probant Abb. cap. 1. num. 2. de adult. & ibi Anan. num. 2. Nauar. summa cap. 16. num. 16. Antonius Gomez. l. 80. Tauri nu. 10. Gutierrez dicens esse omnium. q. canon. lib. 1. cap. 37. nu. 11. Ergo in foro externo deflorator non probas contrariū, succumbet, & cōpelleretur vt resiliat religionem eam ducat. Temperarem tamē, nisi inter deflorantem & virginem, esset aliquod impedimentum ad matrimonium: vt si essent consanguinei. Tūc enim promissio illa fuit omnino voluntaria, quāuis illa per iniuriam deflorata esset. Quia textus c. 1. de adult. obligans ad ducendum sceminam dolo defloratam: non loquitur in hoc euentu. Cū enim inter hos nequeat, matrimonium cōsistere, non potest ad illud obligare. Atq; adeo cum promissio fuerit omnino voluntaria, cessat ratio tradita in nu. præcedenti. Et procedunt, quæ nu. 9. tradidi, vt possit his in vtroq; foro implere ea promissio ne, ad religionem transire.

Hæc autē matrimonij promissio, & quancunq; spōsalia non probantur testibus singularibus neq; ex ijs imperfectis probationibus, integra, & plena coalescit. vt probat Alex. toto consil. 143. volum. 2. & multos allegans contra alios oppositum sentientes, Antonius Gabriel, 1. tomo 3. communium lib. 1. tit. de probat. concl. 1. nu. 36.

EXPLICIT LIBER OCTAVVS
de Dispensationibus.

LIBER

LIBER NONVS DE REDDITIONE debiti coniugalis.

DIVISIO LIBRI.

Hactenus disputatum sit de requisitis ad constituendum matrimonium: & de secundis nuptijs. Iam de effectu, ac obligatione consergente ex matrimonio inter ipsos coniuges, nempe mutua debiti coniugalis redditionis, ac cohabitationis, differendum est. De qua presens liber disputat. Hic autem ordo seruandus est. Primo differetur, an actus coniugalis ex se sit licitus, & obligatorius. Deinde de obligatione ad cohabitandum. Post modum, quia actus quicumq; bonus potest ex circumstantijs variari: disputabitur de circumstantijs, ex quibus reddatur actus coniugalis vitiosus, nec teneatur coniux ex actus ad debiti redditionem. Tandem de tactibus, ceterisq; libidinosis delectationibus inter coniuges, sponsosq; de futuro: & huius occasione etiam inter solutos.

DISPUTATIO PRIMA.

An actus coniugalis sit ex genere suo bonus, ac meritorius, si in gratia exerceatur.

SVMMARIVM.

Refertur sententia discens nunquam exerceri sine peccato. num. 1.
Impugnatur hæc sententia & proponuntur remissive bona excusantia matrimonium. n. 2.
Actus coniugalis exercitus in gratia est meritorius: & an in ipso conferatur gratia ex opere operato? num. 3.
Soluantur argumenta: & explicatur cap. vir cum propria. 33. q. 4. num. 4.

Proter nonnullos hæreticos, qui nuptias illicitas esse testati sunt: quos latè confutat Bellarminus lib. vnico de matrimonio, à cap. 1. vsq; ad 5. nō desunt ex Doctoribus catholicis, qui doceant actum coniugalem non posse absq; culpa saltem veniali exerceri. Quos tacito nomine refert. D. Bonauè. 4. d. 31. art. 2. q. 1. & eiusdem sententia fuit Hugo e. vir cum propria 33. q. 4. Ducuntur primò auctoritate. D. Gregorij responsione 10. ad interrogationes. D. Aug. & refertur eo cap. vir cum propria: ibi, Vir cum propria

coniuge dormiens, nisi lotus aqua, intrare Ecclesiam non debet: sed neq; lotus intrare statim debet. Nemo enim culpæ immunis ab Ecclesia ingressu arceri debet. Secundo, auctoritate Origenis homil. 6. in Numer. ubi negat in coitu vnquam Spiritum sanctum adesse. Tertio, quia Siricius Pontifex Epistola ad Himerium Taraconensem, verba illa ad Rom. 8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. ad eos, qui matrimonio copulant, accommodat. Quarto, quia in actu matrimonij interuenit turpitude, & immundities: vt ex illo 1. Regum 21. Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus. Probat. D. Hieron. lib. 1. in Iovinianum: & constat ex illo Apocalyp. 21. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Quo loco coinquinatio vocat omnis actus, quo perit virginitas: quam per actum matrimonij violari, dubitat nemo. Quinto, quia vtrens actu coniugali postponit bonum rationis, cuius actu tunc sua sponte se priuat, alijs bonis inferioribus: quod sanè peruersio quædam est debiti ordinis, ac proinde

culpa.